



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XXVII. Distributionum. Varia resolvuntur Dubia circa Residentiam,  
Præsentiam in Choro, ac Distributiones quotidianas lucrandas, vel  
augendas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

so dictirenden Bestrafung sein des Müllers habendes Vermögen, und Kinder zu bedenken, und auf so sich äussernde Proportion diese einzurichten. Sollten die begehrte 300. Gl. in solch Ansehen etwas zu vil scheinen, kunte diese Quantität moderiret, oder gar auf die pactirte usuras reduciret

werden, massen der Verlust seiner Eithen schon groß genug, wann selber diese an gnädige Herrschaft erlegen, und eines so mercklichen Quanti loco multæ entzathen müßte. Und dieses ist, was Rechtens zu seyn erachte mithin anderer mehrer beagründeter Meynung nicht benennend.

## CONSILIUM XXVII.

### Circa Residentiam, Distributiones quotidianas &c. in Ecclesia Collegiata.

#### SUMMARIUM.

1. *Seqq. Facti species.*
4. *Quaestiones discutienda.*
5. 9. *Opponuntur & rejiciuntur rationes dubitandi.*
6. *Etiā Decani Collegiarum possunt abesse per 3. menses.*
7. *Abesse per trimestre volentes non debent petere licentiam.*
8. *Si peculiare statutum obstat trimestri absentia, absens tamen non potest privari fructibus.*
10. *Juramentum intelligi debet secundum limites materiae subjectae.*
11. *Juramentum impleri debet in forma specifica, quando praestitum est in favorem tertii.*
12. *Infirmi absentes gaudent distributionibus quotidianis.*
13. *Item absentes ob utilitatem Ecclesiae.*
14. *Qui potest abesse à choro, potest etiam sub Horis celebrare missam.*
15. *Seqq. Canonicus, qui est Consiliarius Ecclesiasticus Episcopi, potest sub Horis legere missam, ut deinde possit interesse Consilio.*
22. 23. *Pœnas à jure communi statutas non potest remittere iudex inferior.*
24. *Pœna per statuta particularia ab Episcopo confirmata imposita possunt remitti ab Episcopo, non ab inferiore.*
25. *Multa non debetur ante sententiam.*
26. *Negligens exigere multas non debet argui de dolo.*
27. *Pro neglecta exactione multarum non est facienda restitutio ante sententiam.*
28. *Seqq. Potest Episcopus ex justa causa dare licentiam, ut adsint Canonici ultra tres menses.*
30. *Seqq. De jure cõmuni tenentur Canonici interesse omnibus Horis.*
33. *Seqq. Attendenda consuetudines Ecclesiarum.*
35. *Abrogari per consuetudinem potest lex prohibens contrariam consuetudinem.*
36. *In Germania non viget rigor juris, quod obligat Canonicos ad praesentiam in omnibus Horis.*
37. 38. *Qui non interest divinis Officiis, pro absente habetur.*
39. *Ad lucrandos fructus grossos plerumque non opus est interesse omnibus Horis.*
40. *Ad lucrandas distributiones quotidianas requiritur, ut quis intersit Horis respondentibus.*
41. *Tenor statutorum in praesentia casu.*
42. *Qui sub Horis legit sacrum, aut legitime impeditus abest, lucratur fructus grossos.*
43. *Seqq. Rationes dubitandi circa distributiones quotidianas.*
48. *Distributiones quotidianae dantur absenti ob infirmitatem.*
49. *Ob corporalem necessitatem.*
50. *Ob Ecclesiae utilitatem.*
51. *Item si fructus praebendae sint nimis tenues.*
52. *Speciata consuetudine lucratur distributiones Canonici, qui psallunt per Vicarios, modo ipsi intersint.*
53. *Qui occupatur in negotiis Ecclesiae Cathedralis, censetur occupari in utilitatem Ecclesiae propriae, si hac sit unita cathedrali.*
54. *Seqq. Consuetudine induci potest, ut ex justa causa absens distributiones percipiat.*
56. *Recensentur statuta in casu praesenti circa distributiones.*
57. *Seqq. Distributiones per desuetudinem abrogari possunt.*
64. *Seqq. Ubi tenues sunt praebendae, possunt alii redditus Ecclesiae pro distributionibus applicari.*
67. *Seqq. Vel uniri mensa Capitulari pro supplemento congrua.*

## FACTI SPECIES.



**R**everendissimus Episcopus E. circa annum Christi 1062, fundavit, & dotavit insignem Collegiatam Ecclesiam, quam etiam Cathedrali Ecclesiae associa- vit, & primariam

inter alias Collegiatas totius Diocesis constituit. Ante saecula abundasse redditibus legitur: hodiernis autem temporibus, ubi rerum ad usum necessarium omnium magna est caritas, & una cum Praeposito, & Decano duodecim Canonici, omnes nobilitate, doctoratu, aut licentia ex Theologia, vel Jure utroque insigniti, actu resident, ipsaque Ecclesia triplici Praebenda gaudet, redditus Praebendales adeo tenues existunt, ut de iis vix 500. floreni annui cuilibet Canonico subministrari possint, qua summa pro decore sui status utique vivere nequeunt.

2. Extant in dicta Collegiata Ecclesia statuta quaedam, quae An. 1588. à tunc temporis Canonicis Capitularibus, tam in Theologia, quam Jurisprudencia insigniter peritis viris, in meliorem formam disposita, ampliata, & illi ævo magis accommodata, postea eodem anno die 3. Decembris à Reverendissimo Episcopatus administratore autoritate ordinaria confirmata, & ab omnibus DD. Capitularibus unanimi consensu, nullo omnino refragante, agnita, & acceptata fuerunt.

In his statutis pluries fit mentio de pingui fundatione, de exactè peragendo, & promovendo cultu Divino, de Praebenda, distributionibus, praesentis, de residentia Canonicorum, & interessentia in Choro, Capitulo, & Processionibus per eosdem frequentandis, & additur multa pecuniaria, solvenda ab illis, qui officium suum in his non impleverint.

3. In particulari præter alia in his statuitur 1. ut Decanus in aditu dignitatis suae se corporali juramento obliget ad continuam faciendam residentiam, ad interessendum in Choro Horis Canonicis omnibus & singulis tam nocturnis, quam diurnis, & ad officium Decanatus vel per se, vel si abesse illum contingat, per seniores, vel alium ex Canonicis diligenter implendum. 2. eidem Decano injungitur, ut diligenter invigilet, an Canonici, & alii Ministri Ecclesiae officium suum impleant, eosdem, si in aliquo negligentes illos invenerit, aut alios defectus noraverit, moneat, & mulctet, perseverantes in negligentia, & defectibus suis ad Capitulum referat. 3. ordinatur, ut cuilibet Canonico præter tredecim hebdomadas, si quandoque necessi-

tas postulaverit, quatuor noctibus, & quinque diebus à civitate, non autem diutius abesse liceat, exceptis valetudinariis, & occupatis à Celsissimo Ordinario in negotiis Diocesis, quibus necessarium tempus indulgendum. 4. certae distributiones assignantur, percipiendae ab iis, qui Horis Canonicis in Choro, Missae Conventuali, & Capitulo interfuerint: & additur, quinam, & quando ad eas percipiendas jus habeant. 5. certae poenae pecuniariae statuuntur, quas incurrant ii, qui obligationi suae non satisfecerint, praesertim verò, ut qui temerè ultra praefinitum 13. hebdomadarum tempus absuerit, omnes illius anni fructus amittat, & pro omnino absente, & non residente reputetur, neque ad residendum admittatur, nisi, quod ex fructibus illius anni jam percepit, restituat, vel saltem permittat, ut de portione, quae in futurum ad ipsum spectat, subducatur tantundem, quantum antea malè percepit.

Occasione istorum, & aliorum, in praedictis statutis contentorum, varia oriuntur dubia: & imò quidem, an Decanus, non obstante juramento, quo se, ut num. præc. dictum est, ad continuam residentiam obligat, æquè ac alii Canonici, tutà conscientia gaudere possit trimestri absentia, per Trid.

*sess. 24. c. 12. de reform.*  
indult? 2. an idem Decanus, ultra dictum trimestre, urgente corporali necessitate, vel utilitate Ecclesiae propriae, aut Episcopatus, seu Consilii Ecclesiastici (cujus membrum est hodiernus Decanus) abesse, nec non sub Laudibus, Horis minoribus, aut Missa Conventuali pro sua devotione celebrare possit? 3. an memoratus Decanus, uti hactenus, ita & impossibilem abstinere possit ab exactione multarum, quas statutorum transgressores juxta eadem statuta debent pendere, & custodia visitatorum sibi vendicat? 4. an indulto, quo dicta statuta ultra trimestre quinque dies, & quatuor noctes absentiae concedunt Canonicis, adhuc locus sit post receptum in hac Ecclesia Concilium Trid. s. an dicti Canonici, extra tres menses absentiae, toto reliquo tempore teneantur omnibus Horis interesse, i. e. Matutino, Horis minoribus, cum Missa Conventuali, & Vesperis, quae, ut in Ecclesia Cathedrali, temporibus interpolatis cantari solent? 6. si ad praecedens quaesitum responso sit negativa, quoties de die Chorum frequentare debeant, ut suae obligationi satisfaciant? 7. an iidem Canonici praesentibus in Choro haberi debeant, & tam fructus grossos, quam distributiones praesentibus dari solitas lucrentur, si extra trimestre pro sua commoditate, vel alia legali necessitate, aut praevisto negotio sub Matutino, Horis minoribus, vel Missa Con-

Conventuali Missam privatam celebrent, ex privata devotione confessiones fidelium audiant, vel omnino absint occupati visitatione Diocesis, aut in alio negotio à Capitulo, vel ab ipso Celsissimo Fundatore, & Episcopo sibi commissio? 8. cum sapius allegata statuta sæpe sapius mentionem faciant distributionum quotidianarum, diebus Dominicis, & Festis inter Capitulares dividi solitarum, ea verò, forsan occasione invasionis Suecicæ, in defuetudinem abierint, an ulterius dissimulari valeant. Et si negativè 9. an non, stante proventuum præbendalium tenuitate supra dicta, possint aliquæ pecuniæ ex redditibus Ecclesiæ aliàs satis pinguibus pro hujusmodi distributionibus quotidianis applicari? 10. utrum non pro supplemento Congruæ, Curæ, prædiæ rustica, aut alia similia bona immobilia, ex separato Collegiatæ Ecclesiæ thesauro, per singularem Capitularium industriam, & vigilantiam comparso, noviter coempta, & deinceps coemenda, corpori, seu mensæ Capitulari tutâ conscientiam uniri, & exinde obvenientes annui Canones, laudemia &c. ad instar claustralium olim bonorum, æquis portionibus distribui valeant?

## QUÆSTIO I.

*An Decanus, qui se ad continuam Residentiam juramento obligat, per trimestre abesse possit?*

5.  
Rationes  
adducendi.

Videtur tenenda negativa ex triplici capite. 1. quia Decanus curam, & jurisdictionem habet, quâ absens fungi non satis potest. 2. Decanus Cathedralis, & Collegiatæ Ecclesiæ in effectu est Archipresbyter. hic autem,

ut ex c. ut Archipresbyter 1. de Offic. Archipresbyter. patet,

tenetur assidue in Ecclesia stare. 3. Decanus in Ecclesia Collegiata quæstionis, dum adit Decanatum, juramento se obligat ad continuò residendum: & sic quodammodo renuntiare videtur favori trimestris absentiae,

per Trid. sess. 24. c. 12. de reform.

aliàs concessio Canonici, & dignitatibus.

6.  
Rationes  
decidendi.

Verum, his non obstantibus, dicendum, quòd Decanus dictæ Ecclesiæ Collegiatæ, seclusa speciali Ecclesiæ consuetudine, vel statuto, favore Tridentini quoad trimestrem absentiam indulto gaudeat, non secus, ac alii Canonici gaudent. Patet ex Trid. l. cit. Verba illius sunt: *Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ex eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis* R. P. Schmalzgrueber Consilia.

nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt: ubi Tridentinum favorem trimestris absentiae generaliter concedit obtinentibus Canonisatus, & dignitates in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, & Decanatum, ac similia officia, administrationem, vel jurisdictionem habentia, non excludit: quod utique fecisset, si excepta illa voluisset, nemancum foret ejus Decretum. ergo etiam hujusmodi officiis fulgentes favore hoc gaudent ex regula generali, quòd genericè constitutum intelligi debeat de quavis specie contenta sub genere, nisi probetur exceptio à genere. hæc autem exceptio, ut ex responsione ad rationes dubitandi patebit, non probatur: imò probatur oppositum; nam,

ut apud Garc. p. 3. de benef. c. 2. n. 181. declaravit S. Congreg. Concil.

laudatum Concilium c. 12. cit. loquitur de utriusque dignitatibus, tam de iis, quæ præminentiam solum sine jurisdictione habent, quàm de illis, quæ jurisdictionem etiam obtinent. ergo &c.

Neque ita abesse per trimestre volentibus necessarium est, ut vel causam allegent absentiae suæ, vel licentiam ab Episcopo petant; quia etiam sine causa licitè sic abesse possunt, & tamen fructus integros totius anni percipere. Ratio est, quia habent permissionem legis per Trid. latæ, quod ideo permittit istam absentiam trium mensium, ut Præbendati possint capere aliquam recreationem à labore, ne nimis dura sit residentia.

Zerola prax. Episcop. p. 1. V. privatio s. 2. dub. 4. Garc. de benef. c. 2. cit. n. 315. Franc. Leo thesaur. for. Eccl. p. 3. c. 2. n. 21. Barbof. de Canon. & dignit. c. 20. n. 3. & 4.

Solum ergo in casu præsentis, si Decanus favore hoc Tridentini gaudere velit, necesse erit, ut dum ipse abest, vices suas in Choro, & Capitulo committat seniori, vel alii cuidam Canonico; nam ad hoc vi juramenti se obligat, ut patet ex formula juramenti, ibi: *Me absente, Officium Decanatus per seniore, seu alium ex Canonici complebo.*

Dixi autem, seclusa speciali Ecclesiæ consuetudine, vel statuto; nam si talis consuetudo, vel statutum extet (quod tamen, cum quæstio facti sit, probari debet) quo obligetur Decanus, vel alius ad residendum perpetuò, ita, ut nec per trimestre abesse possit, observanda illa est. Noto tamen, per hoc ob ejusmodi absentiam non posse ita absentem privari fructibus, nisi id ipsum statuto illo decretum, vel consuetudine introductum sit. Et ratio est, quia ejusmodi consuetudines, & statuta, cum favorem per jus commune indultum tollant, odiosa sunt, & ita explicanda, ac intelligenda,

(P p 2)

7.

8.

genda, ut, quantum verborum proprietatis patitur, quam minimè noceant obligatis. Minus autem nocebit hoc statutum, si ita explicetur, quòd obligationem quidem inducat residendi perpetuò, non autem poenam privationis fructuum, & si ita explicetur, adhuc sistitur in proprietate verborum. ergo &c. Idem dicendum, si quis se obligasset ad perpetuò residendum, vel ex fundatione, seu fundatorum voluntate plus temporis, aut etiam perpetua, non interrupta residentia requireretur.

9. *Respondeatur ad rationes dubitandi.* Ad rationes dubitandi facilis est responsio. *Ad 1.* non minus ratione curæ ad perpetuam residentiam obligatur Episcopus, & Parochus, & tamen prior per trimestre, posterior per bimestre, saltem cum licentia Episcopi, abesse potest. *Ad 2.* obligatio Residentiæ assidue per jus commune imposita, in Decanatu non est specialis; nam, ut notat Azor p. 2. l. 7. c. 3. q. 1. exploratum est, habentes etiam alias dignitates, administrationes, & officia, quales sunt Præpositi, Personatus, Archidiaconi, Thesaurarii, Præcentores &c. ad commorandum assidue in suis Ecclesiis communi jure compelluntur

*c. ad hac. 13. de Præbend.*

& tamen satisfaciunt, si non absint ultra tres menses; quia parum pro nihilo reputatur. In nostro casu licentiam abessendi aliquando satis luculenter innuit formula juramenti, à Decano novo præstandi, dum jurat, se, quando contigerit ipsum abesse Officiu Decanatus impleretur per seniores, vel alium ex Canonicis; frustra enim concederetur ipsi licentia administrandi officium per alium, si perpetuò, & absque ulla remissione deberet residere in Ecclesia, & omnibus horis quotidie in persona sua interesse. *Ad 3.* obligatio illa ad terminos juris communis est reducenda; neque enim in susceptione officii sui præsumitur aliquis se obligare plus, quam ad hoc, quòd ita velit fungi officio suo, prout jus ab ipso postulat. non autem postulat jus à Decano, ut nunquam absit, cum favorem hunc Tridentinum l. cit. indulgeat omnibus.

10. Hinc ad quæstionem, an is, qui juravit, quòd continuò in Ecclesia sua residere velit, si postea ex aliqua de causis excusantibus se absentat, incurrat perjurium, cum Alagona, Wagnereck, & aliis *inc. ex parte 13. de Cler. non resid. ego ad eundem tit. n. 73.*

respondi negativè; quia pro residente haberi debet, ut constat ex c. cit. Consentiant

Abb. *inc. ex parte cit. Pirh. tit. eod. n. 44. Reiffenstuel. ibid. n. 17.*

Ratio est, quia juramentum, præstitum circa materiam juris communis, intelligi debet secundum limites materiæ subjectæ, ita, ut ad plus non obliget, quam jus requirat. Atqui jus commune non requirit re-

sidentiam ita strictè, quin ob plures causas Beneficiarius abesse possit. Ex quo sequitur 1. licet Præpositus à principio receptæ Præposituræ juraverit continuò residere, ipsum tamen pro servitiis suæ Ecclesiæ, si ve pro iuribus, & rationibus ipsius Præposituræ prosequendis licet se absentare, ac sine fraude ita se absenteando, perjurium non incurrere, cum ipsum jus commune permittat Clericis abesse ob evidentem Ecclesiæ suæ utilitatem

*c. un. de Cler. non resid. in 6.*

2. similiter licet abest Canonicus occupatus in servitio Episcopi, haud obstante juramento de residendo

*c. ad audientiam 5. de Cler. non resid.*

3. idem dicendum de Beneficiarii absentibus ex causa infirmitatis c. un. cit.

Neque obstat c. ad nostram 7. de jurejur. ubi dicitur, quòd juramentum impleri debeat in forma specifica, & non in casu ficto tantum; nam hoc intelligendum est, quando juramentum præstitum est in favorem tertii, & hic pateretur detrimentum, si non impleteretur in forma specifica. In casu nostro, licet ita absentis præsentia ficta duntaxat sit, non tamen præsumitur cedere in detrimentum Ecclesiæ ipsa absentia; quia supponitur licita ex ipsius juris permissione.

Pirhing. ad tit. de Cler. non resid. n. 46.

## QUÆSTIO II.

*An Decanus ob legitimum impedimentum celebrare possit sub Horis Canonicis?*

Certum est, quòd etiam Decanus non minus, ac alii Canonici, ex causa infirmitatis, si ea talis sit, ut commode interesse Horis non possit, abesse à Choro valeat, & tamen distributiones quotidianas lucrari; hoc enim absque discrimine inter Canonicos, & dignitates permittitur de jure communi

*c. un. de Cler. non resid. in 6.*

& aperte concedunt statuta hujus Ecclesiæ Collegiæ fol. 57. & 58. ubi s. Denen Valetudinariis hæc verba ponuntur: denen Valetudinariis solle auch über angezogene 13. Wochen zu Erholung ihrer Gesundheit, solanges die Nothdurfft erfordert, auf ihre Ansuchen genugsame Zeit auszu bleiben nit abgeschlagen, sie aber dagegen ihr ehebaffte Noth, und Ursach ihres Ausbleibens alle Monath una cum testimoniis alicujus probati medici einem Capitul anzumelden schuldig seyn. Neque hoc favore, quo communiter gaudent Canonici, privari Decanus debet, licet hic actius ad residentiam, quam illi, obligetur; nam etiam Parocho ob infirmitatem corporis, si

si in loco Ecclesie suae Parochialis defectu medicorum, & medicinarum curari non possit, ab Ordinario dari potest dilatorium, aut quatuor mensium, ut in locis vicinioribus maneat sanitatis causa, ita tamen, ut ab Ordinario in Parochia constituatur Vicarius cum congrua portione ex redditibus Parochialibus.

Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* § 3. n. 91. & habetur *can. praesentium* 3. *caus.* 7. q. 1. & c. *ad audientiam* 15. *de Cler. non resid.* ibi, *illis exceptis, quos infirmitas excusat.*

Pariter ergo etiam Decanus, si ob infirmitatem commodè interesse non potest horis Canonice, abesse ab iis impunè potest, modò per seniores, vel alium Concannonicorum in ejus absentia expleatur ejus officium.

13. Certum est 2. Decanum non minùs, quàm alios Canonicos, à Choro abesse posse ob evidentem, & gravem utilitatem Ecclesiae, vel Praebendae suae, ita, ut etiam absens distributiones lucretur; hoc enim universaliter conceditur omnibus

per c. *un. de Cler. non resid.* in 5.

Et hinc distributiones, & fructus Praebendae suae lucratur, licet Divinis non intersit. 1. si tempore Divini Officii visitat Ecclesiam, jura, & redditus suae Praebendae.

Azor p. 2. l. 7. c. 7. q. 10. *fin.* Barbos. *de Canon. & dignit.* c. 24. n. 5. 25. & 26. & *inc. un. cit.* n. 12. Passerin. *ibid.* n. 112. Leuren. p. 1. *for. benef.* q. 404. n. 3.

2. si nomine Capituli ex Officio, vel ejus commissione recipit rationes reddituum, & bonorum Ecclesiae.

Pal. *tract.* 7. D. 3. p. 9. §. 2. n. 6. Barbos. *de Can. & dignit.* c. 23. n. 12. Leuren. q. 404. *cit.* n. 7.

3. si abest, ut defendat jura suae Ecclesiae, Capituli, Beneficii, ut negotia istorum procuret, lites prosequatur &c.

Covar. l. 3. *var.* c. 13. n. 8. §. *ostend.*

Garc. p. 3. *de Benef.* c. 2. n. 362. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* § 3. n. 171. & seqq. Bonacin. *de Hor. Can. D.* 2. q. 5.

p. 2. §. 3. Passerin. *inc. un. cit.* n. 114.

quia tali modo est Procurator Capituli, de quo S. Congregatio

*in Saonens.* 21. Aug. 1604.

consuit, quòd, dum pro negotiis Capituli assistit, tanquam praesens reputandus sit, & habere debeat distributiones quotidianas.

14. Certum videtur esse 3. Decanum in iis casibus, in quibus abesse à Choro, & Officii Divinis omnino potest, etiam sub istis celebrare Missam pro privata sua devotione posse, eo fine, ut reliquo tempore negotiis Ecclesiae suae ex Officio sibi incumbendis, vel à Capitulo sibi commissis invigilare possit; quia tunc cessat obligatio assistendi in Choro, igitur, sicut potuisset

set tempus illud impendere pro negotiis istiusmodi sibi incumbendis, ita poterit sub illo tempore celebrare Missam, ut reliquum tempus pro his suis negotiis habeat vacuum. Ubi notanda est communis doctrina, juxta quam Procurator Capituli, pro hujus negotiis tractandis absens, pro praesente reputari, & distributiones quotidianas percipere debet, etsi negotia ista expedire potuisset extra tempus Divinorum Officiorum, modò ex Capituli mandato non teneretur negotia ista extra tempus Officiorum Divinorum peragere, quia adhuc videtur abesse ob utilitatem Ecclesiae, & dum tempus Officiorum divinorum pro his negotiis tractandis eligit, jure suo videtur uti.

Bonacin. q. 5. *cit.* p. 3. Barth. à S. Fausto l. 3. q. 56. & 57. Barbos. *de Can. & dignit.* c. 24. n. 20. & seqq.

Dubium est, utrum Decanus, vel alius Canonicus in Ecclesia Collegiata, qui est Consiliarius Ecclesiasticus Celsissimi Ordinarii, ut dein Consilio Ecclesiastico interesse possit, sub Laudibus, Horis minoribus, aut Missa Conventuali Missam pro devotione sua celebrare possit? Ratio dubitandi est 1. quia valde controversum est apud DD. utrum Episcopus in suo servitio occupare possit etiam Canonicos Collegiatarum Ecclesiarum? ad quam controversiam

Ego ad libr. 3. *Decret.* tit. 4. n. 54. cum Abb. Gonz. Laym. Pirh. Wiest.

tenui negativam, ex ratione, quia ne Decretum Tridentini, quo permittitur Episcopo in servitio suo occupare duos Canonicos, sit correctorium juris communis, referendum est

*ad c. de catero* 7. & c. *ad audientiam* 15. *de Cler. non resid.*

atque utrumque istud Capitulum, quando dicunt Canonicos, ex causa obsequii Episcopo praestandi absentes, quoad fructuum perceptionem habendos pro praesentibus, solum loquitur de Cathedralium Ecclesiarum Canonicis. igitur de his solis etiam intelligendum est Tridentinum nec privilegium ipsis concessum, utpote à jure communi exorbitans, ad reliquos Canonicos extendendum, nec Episcopo permittendum, ut istos in obsequio suo occupet, nisi in casu urgentis necessitatis, quando ad tale obsequium ex Cathedralibus Canonicis non potest haberi idoneus, aut communis utilitatis, quòd talis Canonicus Collegiatae praeteris ad hoc idoneus, & industrius esse censeatur. Neque tali Decano, aut Canonico patrocinatur, quòd revera saltem in Ecclesia sua praesens sit, dum sub his Horis ibi cantatis Missam celebrat; nam

2. Ut notant

Franc. Leo *thesaur. for. Eccl.* p. 3. c. 2. n. 25. & 26. Barbos. *alleg.* § 3. n. 134. (Pp 3)

15.

Rationes dubitandi.

16.

Passer.

Passerin. in c. un. n. 69. & 169. de Cler. non resid. in 6.

Distributiones solus ille percipit, qui Missam tempore, quo Horæ dicuntur, iussu superioris celebrat; hic enim solus, non vero ille, qui tempore, quo cantatur Hora aliqua in Choro, in Ecclesia Missam ex devotione, vel etiam ex obligatione celebrat, dicitur interfuisse illi horæ.

Aloys. Riccius *Prax. for. Eccl. decis.* 494. edit. 1. alias resol. 385. n. 2. edit. 2. & decis. *Cur. Arch. Neapol.* 113. p. 4. Steph. Gratian. c. 29. n. 2. Gonzal. ad reg. Cancell. §. 7. prem. n. 180. Bonacin. de Sacram. D. 4. q. ult. p. 7. §. 5. n. 7. & de Hor. Can. D. 3. p. 3. §. 4. Piassec. *prax. Episc.* p. 2. c. 3. n. 8. pag. 124. Barbof. de Can. & Dignit. c. 25. n. 12. & ita censuit S. Congr. Concil. in Callien. 29. Jul. 1628. resp. ad 4. ubi expresse declaratur, Canonicos celebrantes, dum Divina officia recitantur, non lucrari distributiones, nisi ad celebrandum compulsi fuerint ab eo, ad quem pertinet. Idem decernitur in Oriolen. 27. Mart. 1632. ad 12. ubi eadem S. Congr. respondit, Canonicos, seu alios Prabendatos tempore, quo divina Officia celebrantur, non lucrari distributiones quotidianas, nec emolumenta, nisi illa horæ ad celebrandas missas ab eo, ad quem pertinet, compulsi, aut iussi fuerint.

Quod ipsum

17.

3. Satis clarè indicant statuta hujus Ecclesie §. und dices fol. 47. ibi: Und dices alles, so vom Verdienen der Præsentien hieoben nach längs vermeldet, solle allein von denen, so eintweder in Choro, oder aber herunter vor des Heil. Creutz Altar nach Gelegenheit in ihren Stühlen dem Gottesdienst beywohnen, und mit nichten von denen verstanden werden, so ander Orthen in der Kirchen umschweiffen; dann dieselbe, wie auch alle die, so ohne ehelichste Ursachen, und genommene Erlaubniß von ihren Stühlen vor Endung des Gottesdiensts weichen, pro absentibus, und daher der Præsentien unfähig zu halten seyn sollen: ubi ad hoc, ut Canonicus aliquis pro interessente haberi possit, expresse requiritur præsentia in stallo, dum habentur Divina officia: ex quo sequitur, huic ordinationi non satisfacere eum, qui ex privata devotione, & sine iussu superioris, Divinis officiis durantibus, missam celebrat.

18.

Dissolvuntur.

Hæc argumenta non levis sunt ponderis, talia tamen, quæ solutionem inveniant. Ad 1. facilis esset responsio, si sequi velimus sententiam Barbofæ, qui

de can. & dignit. c. 25. n. 8.

dicit, veriorum esse opinionem eorum, quæ docet, Episcopum, si velit, posse habere in sui servitium etiam Canonicos Collegiatæ Ecclesie: pro qua sententia idem Barbof. l. cit. allegat decisionem S.

Congr. Concil. quæ proposito sibi dubio ex parte Archiepiscopi Electoris Coloniensis, an liceat pro servitio sua diocesis assumere duos Canonicos ex qualibet collegiata, sicut licet assumere ex cathedrali, die 9. Sept. 1628. censuit Episcopum posse uti operâ duorum Canonicorum sive de cathedrali, sive de Collegiata Ecclesia, sed non plus duobus. Sed quidquid de hoc sit, affirmativa pro Canonicis Ecclesie Collegiatæ quæstionis clarè proponitur in ejusdem Ecclesie statuti fol. 58. princ. ibi: Ingletchem, da unser gnädigster Churfürst und Herr, als Ordinarius, oder dero Successores am Stußt N. jemand aus Mittel unseres Capituls in jert oder ins künfftig obligenden Commillions Sachen, bes meldres Stußt N. betreffend, auf einzeits lang zu gebrauchen gedachte, solle einem solchen, Jbro Churfürst Durchl. zu des mützigsten Diensten, und zu dero Stußt N. zum besten, auch über ober meldre 13. Wochen, zu solcher Verrichtung geraume Zeit gestattet werden. Quæ verba generalia sunt, ita, ut etiam Decanum comprehendant: consequenter etiam huic talis absentia in obsequio Episcopi, & Diocesis videtur esse permessa, modo in ejus absentia, ut juramentum illius sonat, ipsius officium impleatur per seniores, vel alium ex Canonicis.

Ad 2dum. Id verum est in casu, ubi contrarium non est introductum per consuetudinem legitime præscriptam; nam

ut Cenedol. l. 1. q. 1. n. 76. Monet. p. 2. de Distrib. q. 11. an. 48. §. insertur, & an. 52. Sanctorell. var. resol. l. 1. q. 7. n. 10. Barbof. de Can. & Dignit. c. 23. n. 16. notant,

valet consuetudo, ut Clerici recedentes à Choro, dum officium Divinum canitur, lucrarentur distributiones, si id fieri contingat ad celebrandam missam, excipiendas confessiones, vel ad associandam Eucharistiam. In casu præsentis videtur talis consuetudo fuisse introducta; nam, ut præfertur, DD. Canonici passim consueverunt hactenus, urgente legali aliqua necessitate, aut privato negotio dein peragendo sub Matutino, Horis minoribus, aut missa conventuali, etiam Dominicis, & festis, missam privatam celebrare, quam consuetudinem Celsissimus Ordinarius scivit, aut scire potuit, neque improbat; consequenter accedente legali tempore, completa est consuetudo, juri communi quoad assentiam in choro, & stallo proprio alias debitam derogans.

Ad 3tium. Verba illa statutorum, ut ipsa statuta ibidem indicant, intelligenda sunt de iis, qui sine legitima causa, & accepta licentia ante finem officiorum Divinorum à Choro, & stallo suo recedunt, aut alibi per Ecclesiam hinc inde vagantur; nam hi merito pro absentibus, & non interessentibus haberi, & distributionibus quo-

quotidianis privari debent, cum non inter sint modo, & loco, quo debent. Causam celebrandi missam eo tempore, quo Officium divinum canitur, si reliquum tempus impendendum sit ad expedienda negotia ad Ecclesiam propriam, vel Dioecesis commune bonum tali Canonico commissa, legitimam facit consuetudo hactenus absque contradictione observata; imò communis doctrina, juxta quam, ut num. 14. notavi, gerens negotia Capituli, aut Ecclesiae propriae ea negotia tempore officiorum divinatorum expedire potest, licet expedire illa valeret alio sequente tempore, igitur poterit etiam sub Officiis divinis missam pro privata sua devotione dicere, ut reliquum tempus pro negotiis sibi ex officio incumbentibus, aut sibi commissis vacuum habeat.

21.  
Deciditur  
positio.

Quare ad Quaestionem propositam dico, posse Decanum, qui simul est Consiliarius Ecclesiasticus actualis Celsissimi Ordinarii, sub Laudibus, Horis minoribus, aut Missa Conventuali pro sua devotione celebrare Missam privatam, ut deinde Consilio Ecclesiastico interesse, aut alia negotia in bonum Ecclesiae propriae, aut Dioecesis commissa expedire possit, ita tamen, ut, sicut saepius monui, ipso absente a Choro, officium eius impleatur per alium ex Canonicis. Nam 1. ut num. 18. dixi, probabilis est sententia, quod etiam Canonici Collegiatae Ecclesiae occupari possint in servitio Episcopi sui, praesertim ubi sic obtinuit consuetudo, modo,

ut P. Wiest. ad tit. de Cleric. non resid. n. 31. advertit,

absentia talis non minuat cultum Divinum, aut necessaria Ecclesiae Ministeria impediat: quod tali casu non fieret; quia officium Decani impleatur per alium ex Canonicis. 2. Absentia ultra 13. hebdomadas, ut ex num. 18. cit. patet, ob servitium Celsissimi Ordinarii Canonicis, hujus Ecclesiae Collegiatae per statuta istius Ecclesiae permittitur generaliter. 3. Juxta eadem statuta fol. 42. Canonici ad lucrandas distributiones tantum adeste debent in Choro ad 1. mas Vesperas, Matutinum, & Missam conventualem usque ad elevationem inclusive extra Dominicas, & Festa fori de precepto. Igitur licet ceteris Horis non intersint, per hoc nihil amittent. 4. Decanus vi juramenti sui interesse quidem debet omnibus, & singulis Horis Canonicis tam nocturnis, quam diurnis, sed cum addita limitatione frequenter, & quantum valet. Igitur vi officii sui interesse non debet semper, & irremissibiliter, sed aliquando etiam abesse potest, praesertim si causa justa hoc suadeat, qualis juxta dicta est, si occupetur in Consilio Ecclesiastico, aut negotiis Dioecesis, modo offi-

cium suum, dum ipse abest, impleri per alium ex Canonicis faciat.

## QUAESTIO III.

An Decanus abstinere possit ab exactiōe multarum?

22. Puto distinguere debere inter poenam jure communi taxatam, qualis est amissio fructuum ultra tres menses absentibus, & distributionum quotidianarum iis imposita, qui competenti tempore Horis Canonicis, & officiis Divinis in Choro, & stallo suo non assistunt; & inter poenam, quae ob negligentiam, & alios defectus imposita est jure particulari statutorum cujusque Ecclesiae, qualis sunt multae pecuniariae, quae per Statuta particularia Ecclesiae impositae sunt Hebdomadario, cellario, & reliquis Canonicis, si officio suo deficiunt, & ea, ad quae visitatorum obligantur, non praestent.

23. De imo genere poenae certum est, quod Decanus ab hujusmodi poenis, & multis abstinere non possit, quia nec Episcopus eam potest ex toto remittere, quamvis ante sententiam ex causa minuere illam, vel augere valeat: peccaretque Episcopus, si absque justa causa dissimularet Canonicum, ultra tempus absentem, punire.

Navarr. conf. 3. n. 1. & 2. de Cler. non resid. Garc. p. 3. Benef. c. 2. n. 149. & seqq. Barbof. p. 3. de offic. Episc. alleg. 53. n. 151. & de Can. & dignit. c. 20. n. 20. Reiffenst. ad tit. de Cler. non resid. n. 188.

pro qua responsione Garc. l. cit. refert Declarationem S. Cong. verbis sequentibus: *Fructus praebeatae, in quibus Canonici absentes ultra tres menses multantur, sunt applicandi Ecclesiae ad utilitatem ipsius: potest tamen Episcopus hanc poenam ante sententiam minuere, vel augere, sed non in totum tollere. Ratio est, quia inferior potestas immutare, & corrigere nequit legem superioris.*

c. cum inferior 16. de majorit.

& judici non licet judicare de legibus, sed secundum illas

can. in istis 3. dist. 4. c. canonum 1. de cons. sit.

Leges enim poenam jam commensuraverunt delictis.

24. Secundi generis poenas, seu illas, quae per statuta particularia Ecclesiae Collegiatae pro certis defectibus ultra jus commune impositae sunt, remittere, & relaxare quidem potest Episcopus, non tamen Decanus, nisi ex commissione Episcopi, vel ubi consuetudo legitime praescripta potestatem hanc dedit; ratio est, quia statuta hae confirmata sunt ab Episcopo, qui proinde talis

tali confirmatione censetur hanc legem suam fecisse, ex communi doctrina, juxta quam Princeps ea, quæ autoritate sua confirmat, sua facit.

*si Apostolica 22. de prabend. in 6. & l. DEO auctore 1. §. sed neque 6. C. de ver. jur. enucl.*

ut proinde statuta hæc facta sint lex superioris: consequenter juxta principium *num. prac.* positum in tali poena, statutis ita confirmatis, taxata, Decanus, tanquam Episcopo suo inferior, dispensare non possit. Sanch. l. 8. de *Matrim. D. 17. n. 30.*

25. Qua responsione stante, oritur dubium, cum poenæ, & mulctæ istæ pecuniariæ juxta prædicta statuta custodiæ competant, an, & ad quam restitutionem teneatur Decanus ob mulctas istas hactenus non exactas ab iis, qui defectus hujusmodi, tali mulctæ obnoxios, commiserunt? Certum est, mulctas istas ab iis, qui defectus hujusmodi commiserunt, non deberi ante sententiam: imo

*ut Garc. c. 2. cit. n. 152. Barbosa. c. 20. cit. n. 22. allegans Navar. Ugolin. Pal. Mach. notant.*

nec Canonicus, qui propter absentiam ultra tres menses in poenam privationis fructuum incidit, ante sententiam judicis condemnatoriam in conscientia obligatur restituere fructus illos, quos pro tempore, quo Ecclesiæ suæ deservit, legitime acquisivit. Solum igitur custodia, cui mulctæ istæ sunt applicandæ, per delictum, vel negligentiam, à Canonico commissam, acquisivit spem vindicandi sibi ejusmodi mulctam, non verò jus absolutum, antequam illa exigatur à delinquente.

26. Certum est 2. Dominum Decanum, dum hactenus mulctas ejusmodi exigere neglexit, non posse argui de dolo aut culpa Theologica, sed ad summum de nimia facilitate, & culpa juridica: ubi procedit communis hodie doctrina, juxta quam in foro interno & conscientia ante sententiâ judicis nulla est obligatio refarciendi damnum, ex culpa merè juridica datum, quam sententiam universali fere consensu tenent TT. præsertim RR. & plurimi etiam tum canonistæ, tum civilistæ

27. Quibus suppositis, ad dubium *num. 25.* propositum respondendum videtur, in hoc casu Dominum Decanum non posse in conscientia, saltem ante sententiam, obligari ad restitutionem aliquam faciendam pro neglecta sic exactione mulctarum; non enim apparet, ex quo capite ad hanc obligetur: non ex jure positivo; quia tale jus nullum existit, quod obliget Decanum ad refarciendas mulctas, quas ipse neglexit exigere: non etiam ex jure naturali; quia hoc jure duplex solummodo est radix restitutionis, ex re accepta, & ex injusta acceptione: ex re accepta non tenetur; quia

ipsi nullum lucrum, vel emolumentum inde consurrexit: sed neque ex injusta acceptione; quia ante exactionem mulctæ, ut *num. 25.* dictum est, custodia ad tales mulctas nullum habuit jus absolutum, sed tantum spem, & jus conditionatum, si exigerentur. Videturque hoc confirmari posse ex communi doctrina, quam cum aliis cit. tenui *ad libr. 3. tit. 13. n. 15.* quod Prælati, nullis adhibitis solemnitatibus, possit repudiare hæreditatem, vel Legatum Ecclesiæ suæ delatum, nec propterea teneatur ad restitutionem, quamvis adversus hujusmodi repudiationem Ecclesiæ possit restitui in integrum, ut ibidem notavi *n. 17.*

## QUÆSTIO IV.

*An statutum concedens quinque dies absentia ultra trimestre, locum habeat post Concilium Tridentinum?*

VIDetur statutum hoc, quo ultra tres menses, à Trid. permisso, etiam quinque dies, & quatuor noctes absentia conceduntur, in Collegiata Ecclesia, postquam idem Tridentinum ibi receptum est, nullius amplius esse roboris, consequenter Canonicos isti statuto tutâ conscientia se conformare non amplius posse. Nam Tridentinum

*Sess. 24. c. 12. de reform. §. prae. rea.*

Canonicis, aliisque provisis de dignitatibus, præbendis, & portionibus in Ecclesia Collegiata, vel cathedrali præcise indulget absentiam ad tres menses, non verò ad longius tempus: & licet sacra synodus ibidem excipiat, nisi aliter habeant statuta cujusque Ecclesiæ, tamen, ut ex textu constat, hoc tantum intelligendum est de statutis longius tempus residentia requirantibus, non verò, quæ brevius postulant, nisi hujusmodi statuta à sede Apostolica confirmata sint, prout declaratione Card. & Oraculo Apostolico confirmat

*Fagnan. in c. licet n. 58. & 59. de Præbend.*

Cum ergo in casu præsentis non constet, quod statuta dictæ Ecclesiæ confirmata sint à sede Apostolica, indultum, quo tribus mensibus quinque dies, & quatuor noctes adduntur, robur post Tridentinum receptum amplius habebit nullum.

Verum hoc intelligi solum debet de casu, quo Canonicus aliquis sine legitima causa, & non petita, ac impetrata licentia superioris, cui subest, ultra tres menses abesset; nam ob legitimam causam potest Episcopus dare Canonicis suis licentiam, ut abesse valeant quatuor mensibus.

Ita

Ita Barbof. *de offic. Episc. alleg. § 3. n. 123.* Garc. p. 3. *de Benef. c. 2. n. 411.* & 413. Fagn. in c. licet cit. n. 47. ubi refert, quod Sanctissimus 7. Oct. 1580. audita relatione sacrae Congr. impetratus sit facultatem Episcopo, ut possit singulis annis, si sibi iustae causae dispensandi videbuntur, licentiam concedere Canonici non residendi per alium mensum ultra tres, in eo tamen numero, qui Episcopo visus fuerit, ne cultus Divinus deservatur.

Causam legitimam in casu nostro expressè requirunt statuta fol. 57. ibi, Als ordnen, setzen, und wollen wir, daß hinfüran ein Canonicus des ganzen Jahres dreyzehn Wochen, und mehr nicht, continuè, oder discontinuè in seinen Geschäften seiner Gelegenheit nach zu verreisen, auch sonst ausser diser 13. Wochen, NB. sooft es sein Nothdurfft erfordert, 4. Nacht, und 5. Tag aus der Stadt zu seyn, Nacht haben solle; da er aber über dise 5. Tag und Nacht zu schaffen hätte, das soll er einem Dechant, oder Seniori anzeigen, und ihm darauf solche Zeit von denen dreyzehn Wochen abgezogen werden. Neque deficit in hoc casu licentia Episcopi, cum enim Episcopus statuta hæc confirmando juxta dicta num. 24. hæc legem suam effecerit, hoc ipso generalem censetur indulgisse facultatem Canonici, ut ultra tres menses per quinque alios dies, & quatuor noctes abesse possint, si adfuerit causa legitima, quæ Decano, vel Seniori talis esse videbitur. Dicendum ergo, tale statutum, etiam post receptum Tridentinum adhuc vigorem suum retinere, & Canonicos eidem tutam conscientiam conformare se posse, in terminis tamen ipsius statuti, si scilicet absentiam ad tot dies necessitas postulaverit.

## QUÆSTIO V.

*An Canonici teneantur interesse omnibus Horis?*

30. Videtur, Canonicos teneri, extra tres menses absentia, toto reliquo tempore omnibus Horis interesse, nimirum Matutino, Horis minoribus cum missa Conventuali, & Vesperis, quæ temporibus interpolatis cantantur: Idque 1. quia sic aperte videtur innui in ipsis statutis fol. 33. ibi: Als ordnen, setzen, und wollen wir, daß nun hinfüran, und zu ewigen Zeiten in decantandis, & persolvendis Horis Canonici tam Matutinis, quam diurnis, necnon aliis quibuscunque officiis Divinis, sowohl von uns selbst, und künftige unsere Nacht kommen, als unser andern gehörigen Stüffts Dieneren der angebeute Dienst R. P. Schmalzgrueber Consilia.

desß Allmächtigen (zu dessen Beförderung wir uns dann sambr. und sonders ohne Unterschied, und einige Entschuldigung verbunden wissen) recht ordentlich, canonisch, & Horis competentibus, dem Breviario, und altem bey dem Stüfft wohlherkommenen Gebrauch nach verichtet, celebrirt, und gehalten werde. Quod statutum concordat cum jure communi; nam

2. De jure communi tenentur Canonici omnibus Horis, & singulis diebus interesse, excepto trimestri.

Ita Barbof. p. 3. *de offic. Episc. alleg. § 3. n. 133.* Garc. p. 3. *de Benef. c. 2. n. 324.* & seqq. id desumens ex Trid. sess. 24. c. 12. *de reform.*

& allegans multiplicem declarationem S. Congr. Concil. quarum una sic habet: *Interessentia, de qua in hoc decreto, debet esse in omnibus diebus, & Horis officii Divini, praterquam tribus mensibus singulorum annorum, nisi Ecclesia constitutiones longius servitii tempus requirant.* Alia

per Garc. l. cit. n. 329.

relata sic habet: *non valet statutum, ut una hora, vel duabus interessentes lucentur massam grossam, seu prabendam: amissis distributionibus quotidianis.* Neque ab ista obligatione Canonici eximere potest consuetudo; nam

3. Ut monet Theodosius Rubeus

*inter discept. forens. Steph. Gratiani. c. 298. n. 20.* quem refert Barbof. n. 133. cit.

Canonici non possunt jvari aliqua consuetudine, quin teneantur omnibus septem Horis interservire. Consentit Vinc. Petra tom. 3. comment. fol. 71. n. 27. ubi dicit, vi Trid. sess. 24. c. 12. *de reform.* Canonicos Ecclesie Cathedralis, vel Collegiate insignis nullo casu eximi ab onere officii quotidie in Choro. Et aperte decisum est à S. Congr.

apud cit. Garc. n. 325.

ex cujus declaratione Canonici non excusantur à qualibet Hora illius diei, quæ Choro interesse tenentur, pretertextu, quod eorum nomine, veluti in Matutino adsunt alii ab ipsis missi, nec etiam pretertextu immemorialis consuetudinis.

Verum ista obligationem tam arctam interessendi omnibus Horis, & hoc quotidie non satis probant. Ad 1. statuta ipsa hujus Ecclesie fol. 42. & 43. satis declarant, quibus Horis & quanto tempore interesse debent Canonici, ut satisfaciant suo officio, & lucentur Distributiones pro certis Horis, & officiis Divinis distribui solitas; nam 1. Statuitur, ut qui presentias, seu Distributiones pro Vesperis lucrari vult, in Choro adsit ante finem Gloria Patri in primo Psalmo, & ibi maneat usque ad conclusionem, seu sit nomen Domini benedictum &c. inclusive. 2. Qui ad Matutinum in Choro adest ad initium invitatorii usque ad

(Q9)

ini

31.

32.

33.

Diffolvuntur.

initium primi Psalmi in Laudibus, lucretur presentias tam pro Matutino, quam pro sequente Missa Conventuali; qui verò post conceptum Invitatorium, ante finem tamen primi Psalmi in imo nocturno in Choro compareret, & ibi persistit usque ad principium 1mi Psalmi in Laudibus, lucretur quidem presentias Matutini, non tamen officii, seu missæ Conventualis, nisi etiam huic intersit: de qua missa Conventuali 3. statutum est, ut qui presentibus ejusdem gaudere vult, ante finem primæ Collectæ adsit in Choro, & ibi maneat usque ad Elevationem inclusive, exceptis Dominicis, & Festis de præcepto in foro celebribus, ubi injungitur, ut Canonici intersint officio Missæ ab initio usque ad finem, & contravenientibus imponitur pœna amittendarum Distributionum missæ correspondentium. Ex quibus, & pluribus aliis, quæ in allegatis statutis adduntur, sequitur, Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ, de qua loquimur, non obligari vi statutorum suæ Ecclesiæ, ut intersint omnibus Horis, sed tantum aliquibus, & quidem non semper integris, nec absolute, sed tantum sub pœna amittendarum Distributionum. Quod clarius adhuc patet ex statutorum fol. 36. ibi. Als sollen sie in ferialibus zu Austichtung der Metten, und Vesper, wie sie bevor, verbunden bleiben, in andern Horis aber ihren Fleiß, und schuldigen Eysen, sovil sie thun können, erzeigen, und das übrige unsere Vicarios austichten lassen, ubi Canonici quidem monentur de diligentia in reliquis Horis, absolute tamen permittitur, ut in his per Vicarios suos suum exequantur officium.

34.

Ad 2dum attendendum est ad observantiam cujusque Ecclesiæ, non enim ubique tam continua interessentia in Horis, & reliquis officiis Divinis requiritur: & ita

Garc. p. 3. de Benef. c. 2. n. 330.

notat, tam arctam interessentiam non servari, nec receptam esse in Hispania, in cujus Ecclesiis communiter lucrisit Grossa, seu præbenda residendo unâ Hora, & in aliquibus Ecclesiis lucrisit in tribus mensibus tantum: quam consuetudinem,

citato Casare de Grassis decis. 116. n. 8.

ait valere, & sustineri posse, ubi allegatæ declarationes S. Congr. non sunt receptæ, saltem dum per superiorem, aut Capitulum non sit aliud ordinatum, disponendo modum lucrandi Grossam, seu præbendam juxta dictam declarationem. Similis usus, & consuetudo videtur esse passim in Ecclesiis Germaniæ, ut adeò in hac dictæ declarationes, exigentes continuam interessentiam in omnibus Horis, non obligent.

35.

Ad 3tium abrogari per consuetudinem potest etiam lex prohibens contrariam consuetudinem, adjectâ clausulâ, non ob-

stante quavis consuetudine, modò circumstantiæ, propter quas consuetudo adversa legi reprobatur per legem, cessarint.

Palao tract. 3. D. 3. p. 4. §. 2. n. 10. & apud hunc citæ.

ratio est, quia tali casu Legislator rationaliter abrogare legem suam potest: ergo etiam consentire, ut abrogetur per consuetudinem. Aliud foret, si maneat circumstantiæ, propter quas consuetudo adversa legi reprobatur per legem; tunc enim consuetudo adversus legem hujusmodi prævalere non potest: & ratio patet, quia quamdiu manent illæ circumstantiæ, Lex est, & perseverat esse rationalis, & consequenter consuetudo illi contraria est irrationalis.

Quare ad quætionem hanc statim DICCO, Canonicos Ecclesiæ quætionis non teneri, extra tres menses absentiæ, toto reliquo tempore interesse omnibus Horis. Nam 1. obligationem istam statuta particularia Ecclesiæ ipsorum iis non imponunt, imò, ut vidimus n. 33. clarè satis ab ea illos absolvent. 2. Licet de jure communi fortassis ad tam continuam interessentiam Canonici adstringerentur ob declarationes S. Congreg. num. 31. allegatas, tamen hoc jus, & declarationes in Germania non sunt adeò strictæ & rigorosè receptæ. 3. In dictis Canonicis cessat ratio, ob quam de jure comuni requiritur adeò stricta interessentia, quæ præcipuè fuit, ne diminuat cultus Divinus ob Canonicorum ab Horis, & Choro absentiam; nam cum per Vicarios eorum peragantur Divina officia, in cultu Divino nullus invenietur defectus, sed adhuc officia Divina debito, & decenti modo perficiuntur, ut adeò consuetudo, relaxans obligationem interessendi omnibus Horis sit rationalis, ac proinde valida.

## QUÆSTIO VI.

*Quoties de die Canonici Chorum frequentare debeant?*

PRO hac quæstione militant rationes dubitandi num. 31. & 32. allatæ: quibus addo doctrinam

Garc. p. 3. de Benef. c. 2. n. 321. Suar. de Relig. tom. 2. l. 4. c. 10. n. 17. & c. 13. n. 5. Sa V. residentia n. 1. Fill. tom. 2. tract. 23. c. 7. n. 207. Dian. p. 2. tract. 12. resol. 31. Barbosa, de Dign. & Can. c. 20. n. 8.

ex quorum sententia, qui à Choro, & officiis Divinis ultra tempus, à Concilio Tridentino permisso, notabiliter absunt, peccant mortaliter; nam contraveniunt gravissimo præcepto Concilii, nec satisfaciunt suæ obligationi: nec excusantur, quam-

quamvis velint Distributiones quotidianas amittere.

Garc. c. 2. cit. n. 322. & apud hunc declaratum est à S. Congr.

Nec quidquam iis prodest, quod in civitate maneant, nisi Ecclesie debitis Horis inserviant.

Garc. n. 323. & apud hunc S. Congr. Concil.

quia interessentia, non sola presentia requiritur.

38. Et hinc, cum aliquis Canonicus præbendatus Ecclesie Collegiate secularis Divinis officiis, in dicta Ecclesia per Canonicos, & alios in Choro singulis diebus decantari, vel recitari solitis, non interesset, nisi Dominicis, & festis diebus de præcepto per anni cursum contingentibus; alius verò Canonicus pariter præbendatus non nisi in aliquibus principalibus Festivitatibus, & solennitatibus officiis Divinis interesse consuevisset, fuit quæsitum apud S. Congr. Concil. an tales Canonici dicantur abesse à servitio Ecclesie ultra tres menses, & an propterea incurrerint poenas amissionis fructuum tum Præbendæ, tum interessentiae ad formam S. Congr. non obstante consuetudine in contrarium, eadem S. Congregatio sub die 20. April. 1602. censuit, procul dubio intelligi abesse ultra tres menses, quod non licet alicui Canonico prætextu consuetudinis, aut statuti, ex Decreto ejusdem Concilii sess. 24. c. 12. §. præterea, de re form.

Barb. de Can. & Dignit. c. 20. n. 12.

Atque hanc ob rationem idem

Barbos. l. cit. c. 23. n. 10. §. sextò, allegatis Covar. l. 3. var. c. 23. n. 2. Charond. l. 9. resp. c. 74. Ant. Fabric. præx.

Benef. l. 2. tit. 5. n. 36.

ait, invalidam esse consuetudinem, ut certis Horis, vel temporibus assistentes nihilominus totius diei lucrentur distributiones.

39. Sed distinguendum est inter eum, qui vult lucrari tantum fructus grossos, & præbendales, amissis distributionibus quotidianis; & inter illum, qui etiam lucrari vult distributiones singulis Horis, & Officiis Divinis correspondentes, certum enim est, quod minor requiratur presentia pro lucrandis fructibus grossis, quam pro distributionibus quotidianis. In ordine ad lucrandos fructus grossos consideranda est consuetudo, & observantia cujusque Ecclesie, vel si de hac non rite constat, reliquarum in Germania Ecclesiarum; nam cæteris paribus in qualibet Ecclesia præsumitur esse consuetudo eadem, quæ in vicinis: & hinc

c. super eo 3. de Cognat. spirit.

cum dubitaretur, quæ consuetudo esset in certa aliqua Ecclesia, Episcopus jubetur consuetudinem Metropolitanæ Ecclesie, vel aliarum circumpositarum inquirere, & diligentius imitari. Præterea consideranda sunt etiam

R. P. Schmalzgrueber Consilia,

occupationes, & negotia, quæ cuivis Canonico, præsertim in utilitatem Ecclesie propriæ, incumbunt; & præcipue mos, & usus aliorum Canonico timorata conscientia. Ex more aliarum Ecclesiarum per Germaniam videntur absolvi Canonici ab obligatione interessendi Horis minoribus, & sufficere, ut, ubi causa iusta non excusat, saltem plerumque intersint Vesperis, Matutino, & missæ Conventuali, præterquam in Festis principalioribus, ubi plerumque statuta particularia majorem requirunt presentiam.

In ordine ad lucrandas distributiones quotidianas requiritur, ut, qui eas lucrari cupit, iis Horis, & Officiis Divinis, ac eo modo, & tempore intersit, quibus Horis, modo ac tempore interessentia in ordine ad hunc finem requiritur; etsi enim honestius sit, ipsique juri magis conveniens, ut pro singulis Horis canonicis, & Missa Conventuali distributiones constituentur, valida tamen est consuetudo, quæ in quibusdam Ecclesiis obtinuit, ut in quibusdam tantum Horis, v. g. in Matutino, & in Missæ Sacrificio distributionum partitio fiat, sicque, qui ibi adest, etsi in cæteris non compareat, distributiones lucretur.

Duen. reg. 206. §. limita 2. Hojed. de incompat. Benef. p. 1. c. 17. n. 11. Monet. de distrib. p. 2. q. 12. n. 42. §. limitatur. Barbos. l. 3. jur. Eccl. c. 18. n. 33. & de Canon. & dignit. c. 23. n. 15. Pignatell. tom. 1. consult. 130. n. 9. Pirhing ad tit. de Cleric. non resid. n. 98. Leuren. p. 1. for Eccl. q. 416. n. 6.

addit tamen Monet. p. 2. cit. q. 3. n. 47. ad inducendam consuetudinem, ut qui aliquibus Horis intersunt, omnes distributiones, etiam cæteris Horis aliàs assignatas, acquirat, requiri aliquam rationem, & præterea spatium 40. annorum.

In presenti casu 1. Statutorum fol. 45. constitutum est pro summis Festivitatibus, præsertim pro Festo Natalis Domini, Septimanæ sanctæ, & resurrectionis Domini, ut omnes & singuli Canonici, ærotis exceptis, his diebus intersint primis, & secundis Vesperis, Completorio insuper, & Matutinis, item officio Missæ à principio usque ad finem, sub poena non tantum amittendi presentias pro hujus Horis tribui solitas, sed alia insuper multa pecuniaria. 2. In Ferialibus Statutorum fol. 36. obligantur Canonici ad Matutinum, & Vesperas, pro cæteris Horis monentur quidem ad diligentiam, & sollicitudinem, quantum facere possunt, ita tamen, ut permittantur officium peragere per suos Vicarios. 3. Pro distributionibus Statutorum fol. 42. decernuntur 1. mæ Vesperæ, Matutinum, & Officium Missæ, quibus adesse in Choro debent eo modo, quo dictum est num.

(Qq 2)

33, 6

33. si has distributiones lucrari velint. 4. Idem *Statutorum* fol. 45. & 46. disponitur de officio, & missis defunctorum, ut scilicet distributiones pro Matutino lucrentur illi soli, qui adsunt ad initium Invitatorii usque ad primum Psalmum in Laudibus; ut verò illas, quæ respondent missæ, desideratur præsentia in Choro à prima Collecta usque ad Elevationem inclusive; Vesperis autem defunctorum adesse debent ab initio usque ad sequens Completorium, qui de distributionibus, quæ his respondent, participare cupiant. 5. Quoad Processiones *statutorum* fol. 48. præcipitur, ut iis Canonici, quotquot possunt, & residentes sunt, ab initio usque ad finem adsint, sub certa multa pecuniaria: quod ipsum etiam intelligi volunt de Litanis angarialibus, & aliis quibuscunque Stationibus. Quæ proinde statuta, ubi rationalis causa non excusat, in singulis observari debent, alias peccaturi graviter, si notabiliter extra tres menses ab huiusmodi Officiis Divinis absint, & causam rationabilem absentiae Decano, vel Seniori non proposuerint, prout dicitur *Statutorum* fol. 48. cit. nam ubique in istis adhibentur termini, significantes obligationem in conscientia.

## QUÆSTIO VII.

*Qualis præsentia ad lucrandos fructus requiratur?*

42. QUOD fructus saltem grossos lucrentur illi Canonici, qui extra trimestre pro sua commoditate, vel alia Legali necessitate, aut præviso negotio sub Matutino, Horis minoribus, & Missa Conventuali, etiam Dominicis, & Festis, aut sub anniversariis missam privatam celebrant, si hoc non nimis frequenter fiat, & ita, ut raro admodum sub huiusmodi Officiis Divinis compareant in stallo suo, satis clarum est; quia revera pro residentibus haberi debent, & aliud est residere in Ecclesia sua, aliud interesse Divinis: prius requiritur ad lucrandos fructus grossos, posterius ad obtinendas distributiones. Neque obstant statuta Ecclesiæ Collegiatae quæstionis, quæ fol. 43. & 44. diebus Dominicis, & Festis de præcepto Canonici præcisam iungunt obligationem interessendi integro Officio Divino missæ; nam ratio id statuendi, ut ex loc. cit. patet, fuit, ut satisfiat præcepto Ecclesiæ de audienda his diebus missa, quæ ratio in ita celebrantibus sub missa Conventuali cessat, cum per hoc jam satisfaciant isti præcepto. Idem ob paritatem rationis dicendum de iis, qui sub huiusmodi Officiis Divinis ex privata devotione excipiunt Confessiones fidelium.

Pariter de iis, qui ex commissione Celsissimi Ordinarii visitant Dioecesim, aut in aliis negotiis ejusdem, vel Capituli occupantur, certum est, quod in ordine ad lucrandos fructus saltem grossos pro præsentibus, & residentibus haberi debeant; nam hæc causa absentiae fol. 58. *statutorum* habetur pro justa, & ex justa causa absentibus debentur fructus grossi.

Major difficultas est, an etiam hi omnes lucrari Distributiones quotidianas possint? Ratio dubitandi est multiplex. Nam ratio 1. regulæ generalis instar est, distributiones quotidianas illis duntaxat Clericis deberi, qui statim Horis officiis Divinis intersunt, prout sumitur

ex c. un. de Cler. non resid. in 6. & Trid. sess. 24. c. 12. §. distributiones de re form.

& probat ratio; nam distributiones institutæ sunt ad cultum Divinum per præsentiam, & frequentiam ministrorum augendum: unde ad istas lucrandas non sufficit residentia in loco Beneficii, si talis Canonicus, vel Clericus ab officiis Divinis absit; quia distributiones non ratione residentiae, sed interesse dantur, adeo, ut qui Divinis non interest, easdem lucrari non possit,

ut habet textus, & Gloss. in c. un. cit. V. adfuerint cum communi. DD.

sed ipso facto ante omnem iudicis sententiam illas amittat.

Monet. de distrib. p. 3. q. 7. à. n. 71. Sanctarell. var. resol. q. 13. n. 1. Trullenck. in Decal. l. 1. c. 8. dub. 3. n. 1. Barbof. de Can. & dignit. c. 22. n. 1.

Neque juvat eosdem Canonicos, quod, dum sub officiis Divinis, & missa Conventuali missam privatam celebrant, vel Confessiones fidelium excipiunt, in Ecclesia sua Collegiata, revera præsentibus sint; nam

2. Ut Canonici recipere distributiones quotidianas possint, tenentur psallere, seu cantare in Choro, prout docent magno numero DD. & innuit

Tridentinum. sess. 24. c. 12. de re form.

ibi: Omnes verò Divina per se, & non per substitutos compellantur obire Officia. - atque in Choro, ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis DEI nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare: quod non faciunt, nec facere possunt, qui sub huiusmodi Divinis Officiis Missas privatas celebrant, vel Confessiones fidelium excipiunt. Hinc speciale est Privilegium

per Trid. sess. 24. c. 8. in fin. de re form.

concessum Pœnitentiario Ecclesiæ Cathedralis, ut aliis in Choro psallentibus, in Ecclesia excipere Confessiones pœnitentium possit, & tamen distributiones lucratur:

tur: quod proinde Privilegium ad ceteros Canonicos extendi non debet; nam his ex Officio non incumbit audire Confessiones: proinde illi, si pro his audiendis absint à Choro, non lucrantur distributiones,

ut teste Barbof. *de Can. & dignit. c. 24. n. 6.* declaravit S. Congr. Concil. sub die 22. Jun. 1624.

solusque excipitur ille, qui Missam tempore, quo Horæ dicuntur, jussu superioris celebrat, non verò is, qui præcisè pro suo lubitu, & privata devotione.

Franc. Leo *thesaur. for. Eccl. p. 3. c. 2. n. 25. & 26.* Barbof. *de Offic. Episc. alleg. 53. n. 34.* Passerin. *in c. un. n. 69. & 163. de Cler. non resid. in 6.*

Neque excusate eosdem Canonicos, si absint occupati in servitio sui Episcopi, dum visitant Diocesim, Consilio Ecclesiastico assident, ordinandos, vel ad curam promovendos examinant, vel alia negotia ex Episcopi sui commissione expediunt; nam

45. 3. Imprimis, licet ob utilitatem Ecclesiæ absentes lucrentur distributiones, id tamen intelligunt DD. quando absunt ob utilitatem Ecclesiæ non alienæ, sed propriæ, & quidem tum solum, si tali negotio Ecclesiæ propriæ occupatus, illud extra tempus divini Officii expedire non potuit; nam si expediri talia negotia potuerunt alio tempore, Beneficiarius verò illa expediat tempore divinatorum Officiorum, negant ei distributiones deberi. De iis verò, qui sunt in servitio Papæ, vel Episcopi, communis doctrina est, iis quidem deberi fructus grossos, non verò percipere posse distributiones quotidianas, nisi speciali privilegio muniti sint,

ut cum aliis citat. notat Gonzal. *in c. 7. n. 3. de Cler. non resid. & constat ex c. licet 32. de Prab. c. fin. de Rescript. in 6. c. cum docet 30. de Elect. eod. c. un. de Cler. non resid. in 6. Trid. sess. 24. c. 12. de reform.*

ex quibus textibus patet, distributiones deberi solum ratione interessentis in divinis Officiis: consequenter iis, qui his non interfunt, non debentur, nisi speciali privilegio muniti sint, aut casu, quo in distributionibus quotidianis consistere omnes Ecclesiæ redditus; tum enim sic impediti percipient etiam distributiones, demptâ tertiâ parte, quæ interservientibus accrescit.

Fagnan. *in c. de cetero 7. de Cler. non resid. n. 29.* Honor. *ad dict. tit. n. 25. prope fin.* Vincent. *Petra tom. 3. Comment. fol. 547. n. 26.* ubi testatur sic declaratum esse à Cardd.

Hinc ut Sacr. Rit. Congr. in Lamaecensi 17. Maji. 1607. censuit, Canonicus, si causæ examinis, vel tanquam examinatus, à synodo Diocesana electus, absit à Choro, non lucratur distributiones quotidianas,

Monet. *de distrib. p. 2. q. 11. n. 61.* Garc. *p. 3. de Benef. c. 2. n. 355.* Trullenck. *l. 1. c. 8. dub. 12. §. 8.*

Præsertim verò ad hoc, ut Canonicus occupatus etiam in servitio suæ Ecclesiæ, dum absit à Choro, lucretur distributiones, requiritur, ut præsens saltem sit in loco beneficii.

Ita Covar. *l. 3. var. c. 13. n. 8. §. octav. Guttier. qq. can. l. 1. c. 1. n. 144.* persuasi textu c. cum non deceat 30. de elect. in 6.

ubi Clerici accedentes sedem Apostolicam pro negotiis suarum Ecclesiarum consequuntur fructus illarum, non tamen distributiones. In quare

46. 4. Non est locus ulli remissioni, vel donationi ab alio, quàm summo Pont. factæ; nam nec Capitulum, nec ipse etiam Episcopus donare potest, aut remittere distributiones amissas ob non residentiam.

ut ex Decreto Trid. c. 12. cit. colligunt Navarr. *de Hor. Canon. c. 8. miscell. 14. n. 48. & conf. §. n. 1. de Cler. non resid.* Piafec. *prax. Episc. p. 2. c. 3. n. 8. fin.* Barbof. *de Can. & dignit. c. 22. n. 20.*

Consensus enim Canonicorum non potest facere, ut, qui non interfuit Divinis, habeat distributiones quotidianas.

Navar. *de Hor. Canon. c. 5. n. 20. & c. 21. n. 63.*

Imò nec totum Capitulum potest per consuetudinem concedere absenti harum perceptionem, etiam si per momentum temporis duraverit absentia,

ut censuit Rota in *Hispalensi distributionum*, & observant Aloyf. Ricc. *prax. rer. for. Eccl. resol. 384. n. 8.* Stephan. Gratian. *discept. forens. c. 166. n. 31.* Rota *decis. 61. n. 3. p. 1. recent.*

Et licet statuta circa distributiones plurimum possint, non tamen per statutum induci potest, ut fructus, & distributiones quotidianas lucrentur illi, qui tribus mensibus, vel ultra illos absunt, pro tempore, quo absunt, nisi tale statutum sit factum ab ipso fundatore, vel à Capitulo quidem, aut Episcopo, sed confirmatum à sede Apostolica. Equè parum

47. 5. Circa lucrum distributionum, ab absentibus percipiendarum, potest consuetudo; nam hanc

à Trid. *sess. 24. c. 12. de reform.* sublatam fuisse pro certo haberi debet, teste Palao *tract. 7. D. 3. p. 9. §. 12. n. 1.*

quod non pauci procedere putant etiam in consuetudine immemoriali. Et hinc Canonico, qui munere Vicarii Episcopi fungitur, non deberi quotidianas distributiones, si Horis Canonicis non interfuit, etiam si à tempore immemoriali observatum sit, ut debeantur, resolvit

(Qq 3)

Garc.

Garc. *Summ. Moral. tract. 2. diff. 9. dub. ult. n. 9.* ac censuit S. Congr. Conc. in *Birtschens. 18. Decembr. 1627.* apud Barbof. *de Can. & dignit. c. 24. n. 16.*

qui rationem dat, quia non abest ex iusta causa, cum Vicarius deserviat soli Episcopo, & non Ecclesiae, ut inquit Rota *decis. 222. n. 2. p. 2. divers.*

Et hinc diversa est ratio in Vicario Generali Capituli, sede vacante, qui, dum in officio suo occupatus ab Horis abest, lucratur distributiones; cum enim Ecclesiae sit magis commodum, ut iurisdictio exerceatur per unum deputatum Vicarium, quam per totum Capitulum, officio isto fungens censetur abesse ob utilitatem Ecclesiae suae.

Garc. *p. 3. de Benefic. c. 2. n. 358.* Palao *tract. 7. D. 3. p. 9. §. 2. n. 7.* Barb. *c. 24. cit. n. 16.*

quod tamen alii etiam de isto negant, praecipue ubi consuetudo eum absentem non excusaret.

Monet. *de distrib. p. 2. q. 11. n. 83.* Quarant. *V. Capitulum sede vacante. n. 8. in fin.* Marcell. *Vulpe Prax. jud. for. Ecl. c. 13. n. 16.* & verius putat ipse Barbof. *de Offic. Episc. p. 3. alleg. 54. n. 166.* & *de Can. & dignit. c. 24. cit. n. 15.*

**48.** Verum argumenta ista non evincunt adaequate suum intentum. Ad idum regula illa patitur suas exceptiones; nam

juxta *c. un. de Cler. non resid. in 6.* ex triplici causa distributiones quotidianae etiam absenti debentur, imo est infirmitas. Porro, quanam infirmitas dicenda sit sufficiens ad effectum recipiendarum distributionum in absentia, iudicis arbitrio est relinquendum.

Ita Menoch. *l. 2. de arbitr. c. 60. n. 5.* Hojed. *de incompar. benef. p. 1. c. 17. n. 16.* Barbof. *de Can. & dignit. c. 24. n. 26.*

In quo puncto oportet attendere, an infirmitas talis sit, ut causet damnum, vel aggravet morbum, si infirmus exeat domo, & Divinis intersit, necne. Sic excusantur, & distributiones ratione infirmitatis percipiunt, qui vel omnino ad Ecclesiam, & Officia Divina conferre se nequeunt, ut debilis cruribus, seu tibiis, laborans podagra, caecus, vel alio gravi corporis morbo detentus; vel saltem non potest accedere Chorum sine periculo, & aggravatione morbi.

Barbof. *de Can. & dignit. c. 24. n. 28.* & *segg.*

Proceditque hoc non solum de infirmitate illa, quam quis actu patitur, sed etiam de ea, quam timere potest, & vitare cupit, ut cum Barbof. *de Offic. Episc. alleg. 53. n. 169.* advertit Pignat. *tom. 1. cons. ult. 130. n. 15.*

Et hinc

Palao *tract. 7. D. 3. p. 9. §. 1. n. 2.* & Bonac. *q. 5. p. 1. n. 3.*

excusant eum, qui laborat infirmitate defecto levi, ob accessum tamen ad Chorum habitura incrementum grave; nam tali casu morbus levis ob periculum incrementi gravis etiam ipse gravis efficitur. Securissime in hoc passu procedit, qui circa hoc sequitur iudicium conscientiosi, & periti Medici; nam hujus est aestimare, num accessus ad Chorum tali morbo laborantifuturus sit periculosus.

2. Excusat rationabilis, & iusta corporalis necessitas, ut illam patiens excusetur ab assistentia Chori, & nihilominus distributiones lucrari possit. Rationabilis autem, & iusta esse censetur illa, quae vel absolutam impotentiam interessendi habet, vel talem, ut eidem ex assistentia Chori grave damnum vitae, famae, aut fortunae imminet; nam,

ut Palao *p. 9. cit. §. 2. n. 1.* notat, Ecclesia, tanquam pia Mater, credi non potest obligare Ministros suos cum tam gravieorum damno, aut emolumento privare illos, qui ex tam iusta, & rationabili causa ab Officiis Divinis absunt. Hinc distributiones lucrantur i. qui ob senium, aut ob decrecentes vires arbitrio iudicis Divinis interesse nequeunt.

Azor. *p. 2. l. 7. c. 7. q. 12.* Laym. *l. 4. tract. 2. c. 7. n. 2.* Barbof. *alleg. 53. n. 164.* Leuren. *for. benef. p. 1. q. 412. n. 1.*

2. Qui est valetudinarius, ut medici iudicio domi continere se debeat, aut alio se conferre ad balnea, vel alium locum ad officientis sibi aeris inclementiam fugiendam.

Monet. *de distrib. p. 2. c. 2. q. 6. n. 10.* Pal. *p. 9. cit. §. 2. n. 2. §. primo.* & *seq.* Barb. *de Can. & dignit. c. 24. n. 33.* Qui portionem medicam, seu medicinam sumpsit, vel sanguine minutus est.

Joan. Andr. *in c. un. n. 1. de Cler. non resid. in 6.* Ancharan. *ibid. n. 2.* Fagn. *inc. licet. n. 150. de Prab.* Barbof. *c. 24. cit. n. 32.*

Ut tamen tam hi, quam infirmi, de quibus num. *prac.* distributiones quotidianae lucentur, necesse est, ut, quando tali infirmitate, vel necessitate non impediuntur, Choro interesse consueverint, ut cum aliis monet Matthaeus. *Official.*

*Cur. Ecl. c. 44. n. 26.* nam si adesse non consuevissent, infirmitas, vel corporalis necessitas non censetur dare causam absentiae, & proinde sic absens, etiam durante infirmitate, & corporalis necessitatis impedimento, distributiones non acciperet,

ut contra Petr. Navarr. *l. 2. de resit. c. 2. dub. 3. n. 238.* cum communido-

cent Abb. in c. 15. n. 5. de Cler. non resid. Covar. l. 3. var. 6. 13. n. 8. §. sextid. Azor. p. 2. l. 7. c. 7. q. 11. Palao p. 9. cit. §. 1. n. 4. Barbof. de Offic. Episc. alleg. §. 3. n. 167.

50. 3. Excusat utilitas Ecclesiæ, si evidens illa sit, & gravis: de quo particulares casus jam attuli num. 13. in quibus proinde casibus, si absit Canonicus, distributiones tamen lucratur, modò alias, cum præfens fuit, Divinis interesse consueverit, & damnum distributionum non per assignatum æquivalens salarium, vel aliunde compensetur.

51. Barbof. de Can. & dignit. c. 24. n. 19. Addi potest quarta causa excusans, si fructus Præbendæ sint nimis tenues; quia tunc parum pro nihilo reputatur, & idem est aliquid esse minùs competens, & non adesse,

argumento ducto ex c. inter corporalia 2. de translat. Episc. Gloss. in c. una. V. studiorum. de Cler. non resid.

tunc enim ex legitima causa absentes duas de tribus partibus distributionum lucrantur, amissa tertiâ, quæ interessentibus accrescit

Fagnan. in c. quia in tantum. n. 29. & seq. & c. licet n. 127. & seqq. de Præb. Barbof. ad Conc. Trid. sess. 5. c. 1. de reform. n. 58. Antonell. de regim. Eccl. l. 3. c. 16. n. 12. & 13. Passerin. in c. un. n. 70. de Cler. non resid. in 6. Vincent. Petra tom. 3. comment. fol. 546. n. 22. & seqq.

Quod extenditur etiam ad absentiam trium mensium à Concilio indultorum.

Petra l. cit. n. 24. qui n. 26. pro hoc allegat Decretum S. Congr. Concil. in Reatina 15. Nov. 1601. & in eadem Reatina 2. Aug. 1607. & in Bracarensi 12. Jun. 1608.

Et procedit hoc in quocunque casu permittæ absentia juxta eundem Petram n. 26. cit. Fructus autem tenues esse censentur, quando tertiâ partem distributionum non attingunt.

Petra l. cit. fol. 545. n. 21. & fol. 547. n. 27.

52. Ad 2dum. Licet, spectato jure scripto, verius sit, requiri, ut Canonici ipsimet psallant, & cantent in Choro, spectatâ tamen consuetudine distributiones possunt percipere, si Officiis divinis intersint, & Horas submissa voce recitent, licet non ipsi psallant, sed hoc fiat per Capellanos, seu Vicarios constitutos.

Gonzal. in c. 7. n. 5. circa finem de Cler. non resid. Pirhing cit. eod. n. 99. Engl. ibid. §. 2. n. 6. Leuren. p. 1. for. benef. q. 418. & innuere hoc videtur c. licet 3. 2. de Præbend. & c. un. de Cler. non resid. in 6.

ubi sola præsentia commendatur, non autem psallendi necessitas iungitur. Privilegium Pœnitentiarii, vicujus, aliis in

Choropsallentibus, in Ecclesia Confessiones Pœnitentium potest excipere, & tamen distributiones lucrari,

Monet. de distrib. p. 2. q. 11. n. 68. Palao tract. 7. D. 3. p. 9. §. 5. n. 3. Barbof. de Offic. Episc. alleg. §. 3. n. 160. Passerin. in c. un. de Cler. non resid. in 6. n. 116.

putant extendendum etiam ad alios Clericos, Pœnitentiarii ob multitudinem pœnitentium adjuvantes.

Ad 3tium. Ecclesia Cathedralis respectu Canonitorum Collegiatæ, de qua loquimur, meritò propria dici potest, quippe cui posterior ista juxta speciem facti num. 1. ab ipso fundatore est associata: ut adeò, qui ex ipsis occupantur in negotiis Cathedralis Ecclesiæ concernentibus, censei debeant occupati esse in utilitatem Ecclesiæ propriæ. Decreto sacre Rituum Congregationis oppono aliud sacre Congregationis Cardd. negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, quæ sub die 12. Mart. 1600. censuit, Examinatores, dum in examinandis Confessoribus, vel Ordinandis de-  
53. renti, à Choro absunt, pro illo tempore distributiones quotidianas non amittere. Textus c. cum non deceat, in contrarium allegati, solum loquitur in casu speciali absentia ob instructionem electionis; cap. un. de Cler. non resid. in 6. autem indistincte distributiones ob Ecclesiæ utilitatem absenti attribuit; & hinc melius

cum Palao p. 9. cit. §. 1. n. 2. dicitur, absentiam à loco beneficii non obesse, si illa in utilitatem Ecclesiæ propriæ cedat.

Ad 4tium. Nec Canonici statuto suo, nec Episcopus, hujusmodi statuto confirmationem impertiens, donationem aliquam, vel remissionem distributionum absentibus indulserunt contra jus; sed tantum declarant casus, quibus à jure distributiones indulgentur absentibus. Regula, quâ dicitur, per statutum non posse induci, ut fructus, & distributiones lucrentur illi, qui tribus mensibus, vel ultra illos absunt, pro tempore, quo absunt, patitur exceptionem, quando ex communibus Capituli proventibus, seu ex mensa Capitulari, ut vocant, aliqua pars deducitur, vel olim deducta fuit pro distributionibus quotidianis; nam tali casu

ut notat Pirhing de Cler. non resid. n. 94.

probabile est, statuto, vel consuetudine induci posse, ut qui ex justa causa abest, etiam distributiones percipiat. Rationem dat, quia distributiones istæ in locum Præbendæ succedunt: consequenter naturam illius sapiunt.

Videatur Palao p. 9. cit. §. 11.

Ad 5tium. Id, quod dicitur, consuetudines, per quas absentibus indulgetur, ut distributiones lucrentur, à Trid. esse sub-

53.

54.

55.

tas, imprimis non videtur extendendum ad consuetudinem immemoriam, quippe quæ non videtur sublata, nisi constitutio, consuetudinem tollens, ejusdem mentionem expressam faciat: quod tamen non fit à Trid. l. cit. Deinde prohibitio illa tantum intelligitur de consuetudine, quæ viguit ante Tridentinum, nam consuetudine, post Trid. inducta, jus distributiones percipiendi tribui absenti posse, cum aliis cit. affirmat.

Palao p. 9. cit. §. 12. n. 1.

si ex honesta, & rationabili causa fiat: nec sine ratione; nam consuetudine induci potest, quod potest induci per Privilegium. Atqui Privilegio induci potest, ut absentes distributiones quotidianas lucentur, igitur hoc etiam obtineri potest per consuetudinem. Et ita rationabilis censetur consuetudo, quæ distributiones conceduntur Canonicis, qui ex legitima causa, & ad breve tempus absunt à Choro; quia hæc consuetudo honestari potest ex eadem causa, quæ honestatur concessio fructuum.

Covar. l. 3. var. c. 13. n. 5. Laym. l.

4. tract. 2. c. 7. n. 3. Palao p. 9. cit. §.

12. n. 5. Pignatell. tom. 1. cons. 130. n.

1. & seqq. Leuren. p. 1. for. Benef. q. 421.

n. 5.

Similiter sustinenda videtur consuetudo, quæ Beneficiarius rediens ex itinere, quod ob negotia Ecclesiæ peragenda instituit, per duos, vel tres dies lucratur distributiones, et si ad Officia Divina non accedat; quia post laborem est quiescendum: Et ideo sic quiescens negotia Ecclesiæ adhuc videtur agere.

Azor. p. 2. l. 7. c. 7. q. 5. §. quares. 2. Pas-

serin. in c. un. cit. n. 167. Leuren. n. 5.

cit.

quod extenditur etiam ad profecturum, ita, ut concedantur ei duo, vel tres dies pro præparatione ad iter, quibus pro præsentem in Choro habeatur etiam in ordine ad lucrandas distributiones,

ut cum cit. monet Palao §. 12. cit. n.

16. §. quod dictum est.

56.  
Deciditur  
questio.

Hinc ad difficultatem num. 43. propositam dico 1. sub Laudibus, aliisque Horis minoribus Canonici, etiam pro privata sua commoditate, & absque alia legitima causa, in ipsis quoque Dominicis, & Festis, nisi sollemnissima sint, & præsentiam in Choro consuetudo postulet, missas privatas celebrare, Confessiones poenitentium excipere, & alia negotia à Capitulo, vel Celsissimo sibi commissa peragere sine jactura distributionum possunt; quia, ut ex num. 41. patet, pro istis Horis, in ordine ad lucrandas distributiones non requiritur interessentia in Choro. 2. Matutino, Vesperis, & Completorio, ubi etiam pro hoc distributiones dantur, adesse in Choro debent, si lucrari distributiones velint,

nisi consuetudine legitime præscripta aliud introductum sit: adeoque distributiones non lucrantur, qui sub iis missas privatas celebrant pro sua privata commoditate, aut pro sua devotione Confessiones excipiunt; quia soli illi interesse Divinis Officiis censentur, qui iisdem in Choro assistunt. 3. Qui Matutino ab initio Invitatorii usque ad principium primi Psalmi in Laudibus interlunt,

juxta statutorum fol. 42. §. in der Merten.

distributiones lucrantur etiam pro Missa conventuali sequente: adeoque sub hac Missam pro privata sua devotione celebrare possunt. Aliud est de iis, qui ad principium Invitatorii non adfuerunt in Choro; nam hi juxta eundem §. præsentias lucrantur pro solo Matutino: unde, ut lucrantur distributiones, Missæ conventuali respondent.

vi statutorum fol. 43. §. in dem Ambt.

adesse huic debent ante finem primæ Collectæ, & permanere usque ad Elevationem inclusive in diebus communibus, in festis verò usque ad finem; proinde ex ratione supra allata non possunt sub ea Missa privatim celebrare. 4. Quoad anniversaria, & alia Officia Divina pro defunctis observandus est modus, pro lucrandis distributionibus, in statutorum fol. 45. & 46. præscriptus, & num. 41. indicatus, ita ut illi distributiones his commensuratas percipiant, qui hoc modo præscripto interlunt; ii careant, qui conditiones istas non implent. 5. Qui omnino absunt à Choro, morbo, vel aliis negotiis domi, aut foris distenti, tum demum lucrantur distributiones, quando pro excusatione suæ absentiae allegare possunt causam aliquam ex iis, quas num. 48. & tribus seqq. allegavi.

## QUÆSTIO VIII.

An distributiones quotidianæ, quarum mentionem faciunt statuta, dissimulari possint, si jam in defuetudinem abierunt.

VIDetur dissimulari non posse restitutionem juxta statuta diebus Dominicis, & Festis tribuebantur in eos, qui assistebant Divinis Officiis, & à longo jam tempore in defuetudinem abierunt. Nam 1. illud Trid. sess. 21. c. 3. de reform. aperte præcipit, ubi statuit, ut in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis; in quibus nulla sunt distributiones quotidiana, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum, & quorumvisque proventuum, & obventionum, tam dignitatum, quam Canonicatum, personatum, portio.

tionum, & Officiorum separaretur, & in distributiones quotidianas convertatur.

58. 2. Hoc ipsum præscribunt statuta insignis Ecclesiæ Collegiatae, de qua modò agimus, fol. 44. §. damit, ibi: damit, und aber an gedachten Festen, Sonn- und Feiertagen ein jeder dem Heil. Gottes Dienst, dessen er ohne das schuldig, beyzuwohnen desto mehr Ursach habe, als sollen auf alle, und jede Fest- Sonn- und Feiertag, auf welche sonst kein gestüffte Präsenz verfällt, durch einen jeden jenzig- oder künfftigē Keller drey Schilling fünffzeben Pfening von den Renten genommen, und inter presentes, und die jenen allein ausgeheilt werden, so an solchen Tagen dem Amte der Heil. Mess von Anfang, oder doch vor Beschluß der ersten Col- lecten, biß zu des Priester Benediction inclusive beywohnen, welches dann auch de presentibus allein so strikt zu verstehen, daß zu Erlangung solcher Präsentien, deme, so nicht, wie gemeldt, dem Amte der 3. Mess beywohnet, kein einige Ursach, Schwach- heit, genommene Erlaubnuß, oder was anderes, mit nichten fürtragen, und die jene auch davon ausgeschlossen seyn sollen, so in des Stüffts Sachen, und Geschäften zu thun haben. Cui proin statuto Capitulares conformare se debent, quippe juramento obstricti, quo se obstrin- gunt ad statuta Ecclesiæ suæ inviolabiliter observanda.

59. 3. Idipsum suadet ratio, ex qua intro- ductus est usus distributionum quotidianarum; nam introductæ sunt favore Cul- tûs Divini in Ecclesiis conservandi, & augendi,

ut planum est ex c. un. de Cler. non resid. in 6. & notat ibid. Gloss. in princ.

consuetudo autem, quâ tolleretur usus distributionum quotidianarum apertè ver- geret in diminutionem Cultûs Divini; cum enim non pauci defacto sint, qui ne quidem distributionum lucrandarum spe ad Officia Divina in Choro frequentan- da alliciuntur, quid fieret, si etiam illi- cium hoc tolleretur? Erit proinde con- suetudo ista, distributiones quotidianas tollens, non habenda pro legitima con- suetudine, sed potius pro corruptela, quæ proinde Præcepto per Tridentinum l. cit. & ipsa Ecclesiæ statuta introducto deroga- re non potest.

60. Verum ista non evincunt satis intentum propositum. Ad 1. monet

Layman l. 4. tract. 2. c. 7. n. 1. q. 2.

Constitutionem hanc Tridentini licet sa- luberrimam, non esse ubique in praxin de- ductam. Hinc

n. 1. cit. q. 1. cum Abbat. in c. 1. n. 1. de Cler. agros.

ait, in distributionibus faciendis cujusque Ecclesiæ consuetudinem attendendam esse;

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

quia possunt Canonici inter se statuere, vel consue- tudine inducere de qualibet quantitate distribu- tionum, & modo distribuendi, à jure tamen non re- probato. Non est autem modus à jure re- probatus, ut distributiones pro aliquibus tantum Divinis Officiis inter presentes tribuantur, præsertim si aliunde, puta, per multam pecuniariam, negligentibus im- positam prout (factum est in casu præsentis) cau- tum sit, ne negligentia in frequentandis Di- vinis Officiis increbrescat, & sic minuat Cultus Divinus.

Ad 2. dum statuta l. cit. solum decernunt, ut ex iis, quæ ultra fructus, & pensiones, in Canonicos, & salaria in ceteros Ec- clesiæ Ministros distribuenda superest, die- bus Dominicis, & Festis fiant certæ distri- butiones, in Canonicos, qui his diebus Officiis Divinis adsunt, partiendæ: cu- jus statuti vis nunc cessat, postquam per temporum injurias, & victualium carita- tem redditus mensæ Capitularis sic diminu- ti sunt, ut ne quidem ad sustentationem congruam Canonicorum modò sufficiant. Si fluere adhuc redditus prout olim, in tanta quantitate, ut ultra dictas portiones, & salaria superesset aliquid, obligaret sta- tutum istud, neque negligi à Canonicis pos- set, vi juramenti, ut dictum est, obstrictis ad statuta inviolabiliter observanda: & vi istorum statutorum nulla infirmitas, licen- tia, vel negotium occurrens excusaret, aut capacem redderet ad hujusmodi distri- butiones in absentia lucrandas.

Ad 3. tum lucrum distributionum quo- tidianarum non est unicus modus accuran- di diligentiam Canonicorum in frequentan- dis Divinis Officiis; sed æquè, aut etiam magis acui potest istorum diligentia per multas absentibus impositas: quod fit in casu præsentis 1. fol. 39. statutorum, ubi in Festis Præpositi aut Decani decernitur, ut duo Canonici Chorum dirigant, Antipho- nas, & Psalmos incipiant sub certa pœna pecuniaria 2. fol. 35. & 36. ubi similis multa, custodiæ applicanda, imponitur Hebdomadario, qui Missam Conventua- lem in summo Altari non celebrat per pro- priam negligentiam. 3. fol. 45. ubi negli- gentes Divina Officia in Festis principalio- ribus non tantum jacturâ distributionum, Officiis his respondentium, puniuntur, sed etiam certâ multâ pecuniariâ coercen- tur. Plures ejusmodi pœnæ, & multæ pecu- niariæ in dictis statutis passim leguntur, ut proinde constet, per ea statuta, etiam sine distributionum adminiculo, satis cautum esse pro accuranda diligentia Canonico- rum in Officiis Divinis.

DICO ergo ad hanc quæstionem 8. v. am propositam, posse bonâ conscientia diffi- mulari, & omitti novam ordinationem distributionum, quæ olim fieri diebus Do- minicis, & Festis in Capitulares solebant, & pridem jam in defuetudinem abierunt,

(Rr)

imo

61.

62.

63.

Decidit  
questio.

imò quia Tridentinum c. 3. cit. statuens, ut pro his distributionibus ordinandis tertia pars fructuum cuilibet Canonico competentium, separaretur, non est ubique receptum. 2. Quia cum DD. Canonici defacto non habeant portionem congruam statui suo, talis separatio fieri non facile potest. 3. Quia juxta statuta sumi hæ distributiones debebant ex retentis in mensa Capitulari, quæ nulla adsunt. 4. Quia consuetudo distributiones has abrogavit. 5. Quia ad accurandam diligentiam Canonicorum in Officiis Divinis aliunde sufficientibus cautelis per statuta hujus Ecclesiæ provisum est; ut adeò sine hujusmodi distributionibus suis earum, nempe augmentum, & conservatio Cultus Divini obtineri possit.

## QUÆSTIO IX.

*An stante tenuitate præbendarum possint alii redditus Ecclesiæ pro distributionibus applicari?*

64. Concilium Tridentinum quidem cit. sess. 21. c. 3. de reform. vult, ut, ubi nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum quorumcunque tam dignitatum, quàm Canonici &c. separaretur, & in distributiones quotidianas convertatur, quæ inter omnes Divinis interessentes proportionaliter juxta divisionem Episcopi dividantur: de quibus distributionibus S. Congregatio Concilii censuit, Distributiones quotidianas, quæ accepta fuerunt in tertia parte fructuum alicujus Ecclesiæ, assignari debere non duabus tantum Horis Canonicis, sed etiam reliquis omnibus aliis, quibus qui non interfuerit, distributionem amittit, ut referunt Nicol. Garc. p. 3. de Benef. c. 2. n. 489. Ugolin. de Offic. Episc. c. 19. §. 2. n. 4. Monet. p. 1. de distrib. quotid. q. 3. n. 1. Barbof. de Can. & dignit. c. 21. n. 23. & 24.

65. Verùm hoc S. Synodi Decretum non unam patitur limitationem; nam 1. tertia pars non potest deduci nisi ex Canonicatibus, & aliis Beneficiis residentiam requirantibus in Cathedralibus, seu Collegiatis existentibus; ex aliis enim Beneficiis, quæ sunt extra Ecclesiam Cathedrali, vel Collegiatam, nulla pars fructuum detrahi potest, quæ distributionibus applicetur, nisi ipsa Beneficia essent incorporata præbendis Canonicatibus.

Garc. c. 2. cit. n. 473. cum seqq. Piafec. Prax. Episc. p. 2. c. 3. n. 7. §. de Distributionibus. Zerol p. 1. V. distributiones quotidiana §. 2. Aloyf. Riccius prax. rer. for. Eccl. resol. 288. n. 3. §. de distributionibus. Barbof. c. 21. cit. n. 25.

2. Non comprehenduntur hoc Decreto

dignitates, quæ etsi in Choro locum habeant, nullas tamen habent distributiones quotidianas, nec sufficientes præbendas, vel fructus tenues, quæ retineri possunt cum Canonicatibus, ubi est consuetudo, absque alia dispensatione,

per c. licet de consuet. in 6. Garc. c. 2. cit. n. 483.

3. Item dignitates illæ, quæ habent quidem fructus sufficientes, sed proprios, & distinctos à mensa Capitulari.

Barbof. n. 25. cit.

4. Antequam detractio ista fiat, deducenda sunt prius pensiones & alia onera legitime imposita, quamdiu illa duraverint.

Barbof. l. cit. n. 26.

In casu præsentis, ubi constat, portiones Canonicorum esse ita tenues modò, ut defacto non præbeant congruam proportionatam statui, non apparet, quomodo ex his portionibus demi aliquid possit. Igitur aliunde accipi supplementum deberet, si reducenda essent distributiones, quæ hæcenus in desuetudinem abierunt. Sed unde? puto, stante tenuitate proventuum præbendalium, & verificato supposito, quòd ipsa Ecclesiæ habeat redditus superfluos, & admodum pingues, cum consensu Celsissimi Ordinarii, aliquæ pecuniæ pro his distributionibus ad supplementum congruæ applicari possent ex ipsis Ecclesiæ istius redditibus; nam hi redditus aliàs applicari debent in causas pias. Nulla autem videtur esse causa magis pia, quàm ut succurratur iis, qui in ipsa Cultum Divinum promoveant, quales sunt Canonici, qui Officiis Divinis adsunt, eaque peragunt. Dixi autem, cum consensu Celsissimi Ordinarii; nam sine hoc ex redditibus Ecclesiæ nihil sibi pro utilitate privata applicare possunt, cum auctores sibi in causa propria esse nequeant.

## QUÆSTIO X.

*An prædiarum recens còempta possint Mensæ Capitulari uniri pro supplemento congruæ?*

SEquitur responsio ex modò dictis, nam juxta ista supplementum congruæ pro Canonicis in remunerationem interessentiæ, quam Officiis Divinis præstant, si aliunde istud haberi nequit, sumi potest ex redditibus Ecclesiæ. Non autem apparet melior modus, quomodo, sine diminutione Bonorum immobilium, ad Ecclesiam pertinentium, suppleri defectus congruæ possit, quam si Canones, Laudemia &c. ex curiis, prædiis rusticis, & aliis bonis immobilibus, ex separato Ecclesiæ Collegiæ thesauro, per singularem industriam, & vigilantiam Capitularium noviter còemptis,

67. tis, vel deinceps coëmendis ob venientes (salvis tamen semper, & exceptis piis foundationibus soli Ecclesiæ cum, vel sine onere obventuris) accipiantur, & distributionum loco dividantur inter eos, qui Officiis Divinis adsunt.

68. Ratio, qua honestetur ista acceptio, & divisio, non una est; nam 1. sic satisfit Decreto S. Synodi Trid. quæ assignari cit. sess. 22. c. 3. voluit pro interessentia Divinis Officiis distributiones in ea quantitate, ut non facile contemnuntur, sed allicere possint ad frequentanda Divina officia. 2. Non apparet, unde augere redditus mensæ suæ Capitularis, vel bona ejusmodi huic incorporanda coëmere possint, ex quorum redditibus distributiones sumant, vel illas augmentent. 3. Sic mensæ Capitulari fieret aliqua compensatio pro claustralibus

ita nuncupatis, seu illis bonis, quibus soli Canonici olim fruebantur, nunc autem per confirmationem statutorum sol. 64. & 75. mensæ Capitulari communi unita sunt, sicutamen, ut ipsa Ecclesia triplicem prabendam ex iis habeat.

Verum ut num. 66. dixi, hoc absque Cellissimi Ordinarii consensu fieri non debet, nec potest, ne Capitulum, & Capitulares authores fiant sibi in causa propria. Deinde necessarium est, ut verum sit, Canonicos defacto non habere congruam pro statu suo; nam Ecclesia suis Ministris non tenetur succurrere, nisi ubi de sufficientibus redditibus his non est provisum. Unde posito, quod jam haberent congruam, procederet Decretum Tridentini & juxta istud ex ista separari pars aliqua deberet, pro distributionibus applicanda.

69.

## CONSILIUM XXVIII.

### In causa collationis Beneficiorum reservatorum ex Indulto Pontificio.

#### SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. Rationes dubitandi.
3. Deciditur, subrepticam esse Bullam, in qua non fit mentio indulti prioris, cui adversatur Bulla.
4. Papa non presumitur velle derogare Indultis suis, aut Concordatis Germaniæ.
5. Sub genere comprehensa censetur omnis species.
6. Status controversia.
7. Refertur Indultum Cardinalibus Episcopis dari solitum.
8. Quæstiones discutienda.
9. Rationes, quæ videntur probare, quod Indultum conferendi Beneficia reservata, se solum extendat ad Beneficia, quæ extra casum reservationis conferre potest Indultarius.
10. Deciditur oppositum.
11. Difficiliter probatur consuetudo immemoralis, vi cujus Capitulo competat collatio Beneficiorum in omnibus mensibus privative ad Episcopum.
12. Jus habituale conferendi Beneficia manet apud Episcopum, licet exercitium competat alteri.

13. Metropolitanus vi Indulti Pontificii non habet jus ad conferenda Beneficia sua Provincia, quod habet Episcopus Indultarius in sua Diocesi.
14. Respondetur ad Argumenta opposita.
15. seqq. Deciditur, Capitulo non suffragari Indultum Episcopo datum circa Beneficia, quorum collatio alias spectat ad Episcopum & Capitulum simul.
24. 25. Idem dicitur, si collatio pertinet ad Episcopum ratione prabendæ incorporatæ mensæ Episcopali.
26. Cardinalis Episcopus retinet Indultum, dimisso etiam Episcopatu.
27. Quæ competunt Episcopo ratione prabendæ incorporatæ, censentur competere ut Episcopo.
28. seqq. Defenditur collatio in presenti casu à Cardinali Indultario facta.
35. Pontifex non presumitur uti velle supremæ suæ potestate in conferendis Beneficiis.
36. Princeps non censetur velle tollere jus quæsum tertio.